

1

**PETRI PITATI VERONENSIS MATHEMATICAE PROFESSORIS IN DIARIA NUPER A SE EDITA, ET
atq; Astronomicae disciplinae professori cuiuslibet
perutilia, atq; super directorias, ac primi mobilis tabulas in claram,
atq; expeditissimam
formam ab eodem redactas
PROOEMIUM.**



EPHEMERIDES nostras annorum quinque .1552. 1553. 1554. 1555. 1556. quas modo praecedentibus adiecit, non ad Tubingae meridiem (ut priores) uerum ad Venetiarum urbis longitudinem exactissimo calculo elaborauimus. Haec est enim Venetae, atq; maritimae regionis, nec minimae partis Galliae cisalpinae, nedum patriae nostrae domina, & alumna, urbium facile princeps, ac totius ferè orbis celebratissimum emporium. Haec est (ut dicitur) urbs illa auri diues, sed ditior fama. potens opibus, sed uirtute potentior. solidis fundata marmoribus, sed solidiore etiam fundamento ciuilibus concordiae stabilita. falsis cincta fluctibus, sed falsioribus tuta consilijs. Haec urbi ac patriae nostrae inclytae usque adeo clementissime moderatur, eandem sapientissime, ut urbes alias regit, atq; gubernat, ut non minori eam dilectionis affectu amplexari uideatur, quam olim Romano senatui, Octauio quoq; ac Galeno Imperatoribus pergrata fuisse tradatur, a quibus olim Romana colonia (quod uetustum in porta Bursari Veronae cognominata epigramma testatur) non indigne quidem effici meruit, uarijs quidem ac pluribus ornamentis, atq; nobilissimorum aedificiorum monumentis exornata. Quibus omissis (quandoquidem innumeras illius, ac patriae nostrae laudes, atq; antiquissima ipsius aedificia, uel ea etiam, quae regum, ac principum uetustas sedes tum Pipini, tum Theodorici huius Gothorum, illius Italiae regis testantur, nostrae non est mentis enarrare, quae duobus alijs relinquo, quorum alter haec ciuis noster non uulgaris oratione descripsit, atq; alter ex Germania licet oriundus, Veronae tamen alumnus utraq; huius. s. atq; illius laudes non inferiori forsitan Asraeo, carmine cecinit) Ephemerides nostras dicimus ad longitudinem computatas graduum triginta quatuor cum dimidio ferè ab occidente habitato, quae Ve
A